

selenitis, si qui sunt, Observationem hanc nostram instituere mens est.

Sed antequam ascendamus, ipsum hoc, quod nobis elegimus Observatorium accuratioris iudicii dioptrâ prius inspiciendum est, ut, an commodus ibi Terram videndi locus sit, experiamur. Sit igitur

CAPUT. I.

PRÆVIA LUNARIS GLOBI PER- LUSTRATIO.



Unam utut alii igneam, alii aëream, alii nubem constipatam esse dixerint, plerique tamen ex Veteribus *terream* crediderunt, referente *Plutarcho l. 2. de placitis Philos. c. 25. Laërtio l. 7. Macrobio in somnium Scip. c. 19. Quos secuti ex recentioribus Longomontanus l. 1. Theoric. p. 192. Keplerus l. 1. Epit. Astr. p. 100. Atbanasius Kircherus l. 1. Artis magna Lucis & Umbra*, Lunam dicunt esse *Terram alteram*, sed *atheream*, eadem tamen, quâ nostra tellus, indole præditam in hoc, quod omni proprio lumine destituta, crassum quid sit, & opacum, in extimâ superficie montes & valles, continentes & maria habens, ut telescopiis in auxilium adhibitis ex diversâ reflexione radiorum Solis, ut & ex qualitatibus nonnullis elementaribus colligunt. Alii verò, licet nativam Lunæ obscuritatem, ceu par est, concedant, lucem illam, quâ splendet, à reflexione radiorum solarium unicè derivantes; probabilius tamen censent, *Lunam non habere formam mixtam ex elementis nostris actu aut virtute constantem, neq; ex ipsis genitam, aut in ea resolubilem, sed habere formam cælestem, & omninò diversam à formis elementorum nostratium, & mistorum, ex his genitorum, eò quod hoc videatur convenientius divinæ omnipotentia, ne illam in cælestium corporum opificio restringamus*